DISPUTATIO JURIDICA
De

Compensationibus,



QUAM
D. O. M. F. A.
Permissu & Autoritate Magnifici JCtorum Ordinis in celeberrima SALANA

SUB PRÆSIDIO

DN. ZACHARIÆ Prüeschenckhen/
J.U.D. PROFESS. PUBL. CURIÆ PROVINCIAlis & Scabinatus Jenensis Adsessoris dignissimi; Domini Præceptoris, Promotoris & Affinis sui perpetuo honoris cultu afficiendi;

Publico Examini subjicit

JOHAN. PHILIPPUS ROMANUS

Ad diem Septembr.

In Auditorio JCtorum horis consuetis.

JENÆ
TYPIS PHILIPPI LIPPOLDI.

ANNO M. DC. XXXV.

14

S. N. D. B.

THESIS I.

COmpensatio (*a*) est debiti & crediti (*b*) inter se (*c*) contributio (*d*).

(a) *Vocatur etiam pensatio* in l.18. ff. de pigner. act. l. 67. §. 3. & 4. ff. de leg. 2. l. 29. ff. solut. matr. l.7. §.1. l. 15. h.t. de compensat. *& interdum significat imputationem*, l. 39. ff. de pigner. act. *interdum perceptionem cujuscunq; emolumenti*, l.1. §.3. ff. de pignorib. *interdum deductionem seu retentionem* §.2. Inst. de societ. *à quâ tamen reverà differt* l. 15. ff. rem rat. hab. l. 24. C. famil. hercisc. *quia compensatio juris est, retentio plerumq; facti. Dicta est ab antiquo aris appendendi more, quo veteres ante inventum signata monetæ usum usi fuére*, ut testatur Anton. August. 2. Emend. cap. 8. Leonh. Cöppel. tract. de compens. c.1. n.2. Donell. lib.16. comment. c.15. ibiq; Hillig. L. A. *Et ab æquitate*, l. 36. ff. de administr. & peric. tutor. l.5. l.6. C. h.t. *partim naturali, quia interest nostra, potiùs non solvere quàm solutum repetere* l. 3. ff. h.t. *doloq; facit, qui petit id quod restiturus est.* c. 59. de Reg. jur. in 6. *ac deniq; æquitati convenit, ut Actor, qui sibi satisfieri cupit, præstet, quod contrà Reo debet; partim civili introducta, quoniam compensatio ad dirimendas lites pertinet, ne fiat per plura quod fieri potest per pauciora* l. 39. §. 1. C. de Appellat. Wesenb. in π. ff. de compens. n. 2. & 3. (b) *Debiti ut & crediti verbum tripliciter ferè in jure accipitur*: 1. Generaliter, *& minùs propriè, ubi non saltem id, quod ex pecunia mutua, vel ex aliâ quacunq; obligatione, sed etiam quod ex delicto oritur, debitum & creditum nuncupatur, ut apparet ex* l. 12. ff. de verb. signif. *imò etiam ad naturalia* l. 6. ff. h.t. *quæ tamen propriè credita & debita non sunt.* l.16. §.4. ff. de fidejuss. *& ad actiones reales refertur*, argum. pr. Inst. de act. & l.51. ff. de Obl. & Act. 2. Specialiter, *& pertinet tantùm ad obligationem conventionis; quotiescunq; enim fidem alicujus secuti sumus, toties dicimur illi credidisse* l. 11. ff. de Verb. Signif. l. 20. ff. de judic. l. 1. ff. de reb. cred. 3. Specialissimè, *pro obligatione mutui tantùm*, arg. l. 11. C. si cert. pet. l. 15. ff. de reb. cred. l. 3. §. 3. ff. ad SC.

Macedon. *In hac definitione sumitur generaliter, quia non tantùm obligationes, sed etiam actiones in rem* l. fin. pr. C. de compens. *& delicta invicem compensantur* l. 39. ff. solut. matrim. l. 36. ff. de dol. mal. (c) Gloss. *quam secutus est* Sebast. Medic. in tract. de Compens. part. 1. quæst. 1. *hac verba* inter se, *ad contrahentes*; *Contrà verò* Leonh. Cöppel. d. c. 1. n. 10. & Joh. Borch. de compens. c. 2. n. 13. *ad verba præcedentia* debiti & crediti *refert*; *Non omninò rejicienda videtur* Gloss. *explicatio, ex eo, quòd regulariter debita contrahentium tantùm, non etiam alterius cujusdam in compensationem deducantur* l. 9. C. h. t *ut infrà latius patebit; quamvis etiam posterior admitti posse videatur.* (d) *Contribuere idem est, quod conferre, ut patet ex* l. 1. ff. de Leg. Rhod. de jact. *si enim conferam quod tibi debeo cum eo, quod tu mihi debes compensatio inducitur* l. 1. ff. h. t.

THESIS II.

Compensare potest non tantùm reus conventus, (*a*) sed etiam Procurator, (*b*) Tutor, (*c*) Fidejussor, (*d*) Correus promittendi, (*e*) & Filiusfam. (*f*).

(a) *Regulariter compensare possunt ji tantùm, qui sibi invicem debitores sunt & creditores* l. 30. ff. de condict. indeb. l. 2. ff. h. t. d. l. 9. C. eod. *Reus enim conventus non aliter potest uti compensatione, quàm si actorem sibi vicissim habeat obligatum; quamvis tertius aliquis substituendus Rei scilicet debitor sit creditor Actoris. Atq; hoc procedit, etiamsi Reus sit excommunicatus, quod probatur per* c. 8. ext. de dol. & contum. & c. 5. ext. de Except. *ubi in illo excommunicatus potest solvere, compensatio verò est quædam solutio* l. 4. qui pot. in pign. *in hoc exceptio illi permittitur atq; defensio, qualis etiam est compensatio, ut patet ex* §. 30. Inst. de action. l. fin. C. h. t. *non obstante eo, quòd excommunicatus agere nequeat*, arg. c. 7. ext. de jud. c. 8. ext. de except. *Reus verò excipiendo fiat actor* l. 1. ff. de Except. *quia hoc procedit quoad onus probandi: propriè enim actor non est, cùm sibi aliquid adjudicari non petat, sed intendat actorem à petitione sua repellere* l. 2. ff. de Exception. Gail. de Pac. Publ. lib. 2. Obs. 12. num. 23. *Quidam indistinctè hoc etiam trahunt ad Bannitum*, ut Leonh. Cöppel. d. tract. cap. 3. n. 8. Sebast. Medic. d. tract. part. 2. quæst. 3. Treutl. vol. 1. Dispur. 25. th. 10. lit. C. *quod non omninò placet* Bachov. ad Treutl. d. loc. *Ut enim hac assertio*

vera

vera sit, ponendum putat specialem casum, quando videlicet Bannito bona relicta sunt, quod fieri interdum patet ex l. 14. §. fin. ff. de interdict. & releg. *Aliàs regulariter Bannitis & deportatis bona adimuntur, ita ut obligationes quoq; pereant & in fiscum transferantur.* l. 47. in pr. ff. de fidejussor. *Illud notandum, neq; Excommunicatum, neq; Bannitum in propria persona compensare, sed saltem per Procuratorem posse.* Leonh. Côppel. d. tract. cap. 3. n. 9. (b) *Regula jam tradita est, videlicet neminem compensare posse, nisi is, qui debet, vicißim actorem sibi habeat obstrictum; quæ regula quasdam patitur exceptiones, & quidem* 1. ratione administrationis; *qua in classe ponitur Procurator. Et de illo, qui non suo, sed alieno nomine agit aut convenitur, quin compensationem allegare poßit, minus dubitandum; quod enim quis per alium facit, per se ipsum fecisse creditur; quemadmodum etiam de Procuratore in rem suam res expedita est. Per ceßionem namq; sibi factam ceßionarius proprius fit creditor, probaturq; hoc per* l. 18. princ. ff. h. t. *Verba tamen* in d. l. 18. princ. (post litem contestatam) *non leve facessere videntur negotium.* Accursius *enim & post eum* Treutl. d. Disp. 25. th. 10. lit. B. *hisce verbis moti statuerunt, Procuratorem in rem suam tantùm post litis contestationem compensare posse, & tamen etiam alios adhuc casus admittunt, videlic. acceptionem partis debiti & denunciationem, atq; sic tacitè quodammodo sibi contradicunt, cùm is qui partem accipit & maximè qui denunciat tantùm, litem utiq; non contestatur, ut docet* Bachov. ad Treutl. d. Disp. 25. th. 10. lit. B. *Verè igitur sentiunt, quos inter est* Cujac. lib. 24. Obs. 37. Leonh. Côppel. d. tract. cap. 3. n. 10. & seqq. Anton. Fab. lib. 12. conject. cap. 6. *qui compensationem in Procuratore in rem suam tàm ante, quàm post litem contestatam locum habere autumant, nihil moventeo, quòd in* d. l. 18. princ. h. t. *litis contestata fiat mentio; unius enim inclusio non est alterius exclusio, & fortaßè Papinianus de eo casu, de quo quæsitus fuit, respondit, existimante* Duaren. ad Tit. de Compensat. c. 1. circ. fin. *Vide* Leonh. Côppel. d. tract. cap. 3. n. 13. (c) *Ad hanc quoque administrationis classem refertur Tutor. Quod enim* lit. præced. *de Procuratore rei alienæ dictum est, etiam in tutore per easdem rationes locum habet, illumque compensare posse disertè traditur in* l. 11. C. de Compensat. *non solùm quando agit nomine pupilli, sed etiam suo nomine contra pupillum*

 ipsum

ipsum, in casu scilic. intentatæ actionis tutelæ l. 1. §. 4. ff. de contr. tutel. act. *Compensatio enim est pro solutione, quam tutores pro pupillis expedire, & ita consequenter compensare queunt.* Tyndar. tr. de compens. artic. 7. n. 6. Seb. Medic. d. tr. p. 2. q. 14. (d) 2. Ratione obligationis *compensare possunt Fidejussores, qui Reorum principalium nomine conveniuntur. Nam beneficia quæ Reo Principali prosunt, etiam ejus fidejussoribus prodesse debent*, per l. 11. C. de Except. l. 19. ff. de Except. l. 32. ff. de fidejuss. *Verùm si quis utriq; tàm Reo, quàm fidejussori vicissim aliquid debeat, liberum est fidejussori compensare id, quod sibi aut quod Reo debetur* l. 5. ff. h. t. *cùm quilibet juri suo renunciare possit* l. pen. C. de pact. Borch. tract. de Compens. cap. 3. n. 23. & 24. (e) *Item correus promittendi, si scil. ambo correi societatem habeant*, l. 10. ff. de duob. reis constit. *aut invicem fidejusserint*, l. 11. ff. eod. de duob. reis. *Extra hunc respectum correo debendi planè nihil prodest, quando stipulator alteri reo quid debet; utercq; enim Reus in solidum obligatur, non aliter, ac solus quiq; promisisset*, l. 2. l. 3. §. fin. ff. de duob. reis constit. *Neq; hoc correctum est per* Nov. 99. cap. 1. *ut quidam perperam existimant, quos benè refutant* Magnificus & Nobilissimus Dn. Ordinarius D. Arumæus JCtus famigeratissimus, Præceptor & Patronus meus summo honore prosequendus Exerc. 13. quæst. 9. Dn. Riem. p. m. Dec. 10. quæst. 7. Hillig. Don. Enucl. lib. 16. cap. 25. lit. G. (f) 3. Ratione conjunctionis personarum. *Hac enim ratione filiumfam. compensare posse, id quod patri debetur, expressè probatur* per l. 9. §. 1. ff. h. t. *hàc tamen conditione, si filius caveat, patrem ratum habiturum, id est, non exacturum, quod is compensaverit, & quidem non solùm in casu contractæ societatis, ut putat* Borch. de compens. cap. 4. n. 22. & seqq. *sed indistinctè, quando filius convenitur; quia unus est contractus* d. l. 9. §. 1. *h. e. non multum interest, filius an Pater contrahat, ut qui pro unà eademq; habentur personà* l. fin. C. de impub. & al. substit. *& quicquid filius acquirit, patri id omne acquirit*, t. t. Inst. per quas person. cuique acquir. *etiam quoad peculium* pr. Inst. quib. non est permiss. fac. test. *quamvis acquisitio ista tempore Justiniani modò non leviter imminui cœperit*. l. 1. l. 6. l. fin. C. de bon. quæ lib. Nov. 117. c. 1. in pr. *Vicissim etiam pater, quod filio debetur, compensat.* Leonh. Cöppel d. tr. c. 3. n. 17. & seqq.

THE-

Thesis III.

Opponitur compensatio cuilibet actori, *(a)* etiam si sit Respublica vel Fiscus, *(b)* item cessionario, *(c)* Patri, *(d)* non etiam tutori *(e)*.

(a) *Pati cogitur actor sibi à Reo opponi compensationem, non aliter tamen, quàm si Reo vicissim & non alii aliquid debeat. Quemadmodum enim regulariter reus compensationem objicere non potest, si actor non sit ipsius debitor; ita è contra actor non cogendus est compensationem sibi objectam admittere, si iterum non Reo, sed tertio alicui sit obligatus. Idquod adeò verum, ut ne volente quidem illo tertio compensatio procedat sicut manifestè probatur* per l.18. §.1. ff. h.t. (b) *Fisco aliàs multa privilegia indulta esse* t. t. ff. & C. de jur. fisc. *satis luculenter demonstrant; sed tamen propter summam aequitatem quâ compensatio nititur, etiam fiscus eandem pati cogitur,* l.12. l.fin. ff. h.t. *hic quidem cum limitatione, ut eadem statio, quae petit, quid debeat. Quod enim ab alia statione debetur, alterâ statione agente, non compensatur* l.1. C. h.t. de compensat. *& hoc propter confusionem diversorum officiorum servandum esse, ait ibid. Imperat. Exceptiones ab hac regula quaedam enarrantur* in l. 46. §.5. ff. de jur. fisc. & l.3. C. h. t. *quas latè deducit* Donell. lib.15.comm.cap.16. (c) *De Procuratore in rem suam, an & illi, ejus, quod non ipse sed principalis, sive cedens debet, compensatio objici possit, intricata est controversia; Quidam indistinctè hoc adfirmant, è quorum numero est* Tyndar. tract. de Compensat. artic.7. n.4. & Sebast. Medic. eod. tract. part.1.q.43. *ex eo, quòd fieri non potuit cessio in praejudicium habentis exceptionem, & ideò transivit actio cum suâ causâ; sed rectè* Bachov. ad Treutl. d. Disp.25. th.10. lit.D. *negat debitori per hanc cessionem afferri praejudicium, cùm ipse contra suum debitorem adhuc habeat actionem, qua non impeditur per hanc cessionem. Alii adfirmant quidem, hâc tamen additâ limitatione, ut tunc demum cessionario compensatio objici possit, si debitum cum cedente ante cessionem contractum sit, non autem si post illam, quòd hoc casu actio cum suo onere translata censeatur; Et hoc post alios defendit* Leonh. Cöppel. d. tract. de Compens. c.4. n. 9. & seqq. Treutl. d. Disp.25. th.10. lit.D. *Verùm sciendum est, extra hunc respectum nullam aut planè exiguam dubitandi rationem superesse. Nonnulli simpliciter distinguunt inter causam lucrativam*

&

& onerosam, ita ut cessionario ex causa lucrativa omninò possit objici, non verò ex onerosa. Aliqui deniq; considerant, utrum cessionarius nomine proprio actione utili agat, an verò directâ cedentis nomine: hoc casu compensationi locum faciunt, quia sic eundem pro simplici saltem procuratore habendum putant; non verò si suo nomine actionem exerceat. Quippe summâ aliàs afficeretur injuriâ cessionarius, qui cum debitore cedentis nihil contraxit, ac proinde etiam fatuus foret cessionarius, si directam moveret, inquit Bachov. ad d Disp. th. 10. lit. D *Quæ ultima ejusdem opinio mihi præ aliis verior videtur.* (d) *Si Pater vel Dominus agant ex societate filii vel servi, quæ societas illi tertio à Patre convento vicissim aliquid debet, tunc reus conventus potest compensatione uti, & illam Patri vel Domino objicere, non quidem quatenus peculium patitur, ut factum esset si Reus prius egisset, sed in solidum, ut probatur per* l. 9. pr. ff. h. t. *Hoc enim ipso quò Pater vel Dominus agunt, societatem filii vel servi se ratam habere testantur: Unde per hanc legem benè probatur Dd illud effatum; interdum aliquid servari per exceptionem, quod non servari possit per actionem.* Joh. Borch. d. tract. de Compens. cap. 4 n. 23. Leonh. Cöppel. eod. tract. cap. 4. n. 6 & 7. (e) *Si scilicet Tutor pupilli nomine egerit, tunc enim debitum Tutoris non potest compensari cum credito pupilli, per* l. 23. ff. h. t. *Pugnaret enim hoc expressè cum regula suprà traditâ, videlicet debita propria tantùm non etiam aliena in compensationem venire. Eo ipso namq; cùm Tutor pupilli nomine agit, non tutor, sed ipse pupillus agere videtur,* arg. Rubr. Inst de iis per quos ager. poss. Donell. lib. 16. comm. cap. 15. Leonh. Cöppel. d. tract. cap. 4. n. 5.

Thesis IV.

Compensantur res, quæ pondere numero & mensura constant, id est quantitates, *(a)* item genus cum genere, *(b)* non verò species inter se, neque species cum quantitate. *(c)*

(a) *Non ita expeditum est quid per quantitatem in jure significetur Nobis hic non est sermo de quantitate Philosophorū sed de ea quæ JCtis est propria, quam quidam ad solam pecuniam numeratam restringunt, ut facit* Udalric. Zas. l b. 1. sing. Resp. cap 1 n 22 *quem secutus est* Donell. ad l. 22. ff. de Reb. cred. *eaq; probare conantur ex* l. 11.

l.11. ff. h. t. de compens. l. 5. C. si cert. pet. & similibus, *sed malè; Nam concesso hoc, quod strictè accepto quantitatis vocabulo pecunia saltem numerata intelligatur, ut patet* ex dd. & aliis ll. *sunt tamen alia & quidem plures leges in quibus vocabulum quantitatis latiùs usurpatur, veluti* in §. fin. l. 2. & l. seq. ff. de eo quod cert. loc. l. 10. ff. de Jurisdict. l. 47. §. fin. ff. de jur. fisc. l. 87. pr. ff. de legat. 2. & aliis quamplurimis, *ex quibus manifestum, illud esse quantitatem, quod numero, pondere & mensura constat; quam sententiam etiam tuentur* Gœdd. ad d. l. 4. n. 25. de Verb. Sign. Phil. Matth. ad l. 2. de Reb. cred. Dn. Herm. Vult. p. m. Præceptor olim meus observandissimus Discept. Scholast. cap. 10. Borch. de Compens. cap. 2. n. 7. & seqq. *Posito igitur hoc fundamento omninò statuendum est, in solis quantitatibus compensationem locum habere. Sed quid de illa quantitate, quæ se habet instar speciei, v. g. centum quæ in arca habeo? Negant hoc casu compensationem* Fachin. lib. 1. controv. c. 6. Treutl. d. Disp. 25. th. 8. lit. B. & Bachov. ibidem. *Contrà eandem concedit* Hillig. Donell. Enucl. lib. 16. cap. 15. lit. Y, *Quæ sententia mihi æquior & verior videtur: Licet enim per talem demonstrationem quantitas tanquam certum corpus determinetur, natura tamen ejus hac demonstratione non mutatur; est namq; & manet reverà quantitas, proindeq; cum alia quantitate rectè compensatur.* (b) *Si sc. genera sint ejusdem materiei, v g. homo cum homine, bos cum bove &c. Hâc enim ratione utrinq; idem deberi videtur, cùm debita sub eodem genere, sint ejusdem æstimationis.* Et *debitor generis præstando mediocre liberatur* l. 37. ff. de leg. 1. *Secus si sint diversarum materiarum, ut si ab unà parte debeatur bos, ab alterà equus: nam tunc compensatio non procedit, quia tales res in genere suo functionem non recipiunt. Atq; ita sentiunt* Gloss. in l. 78. ff. de hered. instit. ibiq; Gothofred. Bachov. ad Treutl. d. Disp. 25. th. 8. l. C. frustrà dissentiente Treutl. d. loc. Leonh. Cöppel. d. tract. cap. 5. n. 8. cum ibid. alleg. *Nec impedimento est, quod in* l. 66. §. 3. ff de Leg. 2. *dicitur, generali hominis appellatione omnia individua contineri: sicut ergò nulla specierum, ita nec generum invicem erit compensatio: Rectè enim respondet* post Gl. in d l. 66. Bachov. d. loc. *eo saltem effectu contineri individua, ut in quâcunq; specie rectè fiat solutio; aliàs inter genus & speciem manifestam esse differentiam, exinde liquet, quòd in speciem possit cadere affectio, ob*

multas qualitates, quæ huic vel illi speciei insunt, in genus verò non item; cùm adhuc incertum sit, quodnam debitor præstare velit. (c) *Contrà hanc communi DD. calculo approbatam sententiam sese opponit* Francisc. Duaren. ad Tit. de Compensat. cap. 2. ad Tit. de commod. cap. 6. & ad l. 7. §. 5 ff. solut. matrim. *tàm specierum inter se, quàm quantitatis cum specie compensationem esse, contendens; verùm invitá* l. 18. in pr. ff. de pigner act. *Et est ratio quòd aliud pro alio invito creditori solvi non possit, compensatio verò sit quædam solutio. Quod si in solutione hoc verum est, multò magis in compensatione obtinebit; quia aliàs absurdè plus imaginaria, quàm vera solutioni tribueretur, colligente* Magnifico Dn. D. Arumæo d. Exerc. 16. th. 10. *Accedit, quòd hac ratione invitus quis rem emere vel vendere cogeretur,* contra l. 11. C. de contrah. emt. & l. 16. C. de jur. deliber. *Quid enim Reus, à quo actor, qui reo vicissim certum fundum debet, centum petit, si compensationem objicere vult, aliud in effectu contendit, quàm ut actor invitus fundum centum aureis vendere debeat; quod jura non concedunt per* ll. alleg *Nihil movent textus* in l. 7. §. 5. ff. solut. matrim. & alii *pro adstruenda contraria sententia à* Duaren. d. loc. *allati: id quod in conflictu fortè demonstrandum. Interim brevitatis studio ad alia progredimur.*

THESIS V.

Nec refert utrum debitum sit naturale & Civile simul, (*a*) aut naturale tantùm, (*b*) sive ex contractu oriatur, sive ex maleficio, (*c*) modo sit liquidum (*d*).

(a) *Quod intelligendum est de ejusmodi debito civili & naturali simul, pro quo statim actio cum effectu intentari potest. Dari enim obligationem ex tali debito, ubi actio est in suspenso, manifestum est ex debito, quod in diem debetur. Pone Titium debere Sempronio centum, & quidem purè, Sempronium Titio vicissim esse obligatum, sed in diem: Sempronius petit à Titio, Titius objicere vult compensationem, quæritur an sit audiendus? Et respondet* JCtus in l. 7. ff. h. t. *compensationem locũ non habere antequam dies veniat; quamvis enim debeatur ante diei adventum per* l. 213. ff. de Verb. Signif. *peti tamen cum effectu ante diem non potest,* §. 3. Inst. de verb. oblig. ibiq; Bachov. *Quod quidem obtinet in obligatione conventionali, cui*

dies

dies additus; aſt non æquè quando miſerationis gratiâ ad judicati executionem dies à jure indulgetur l. 16. §. 1 ff. h. t. Borch. d. tr. c. 4. n. 7. & ſeqq. Tyndar. eod. tract. art. 4. n. 23. (b) *De hoc textus eſt perſpicuus* in l 6. ff. h. t. *Addit* Tr. d. Diſp 25. th. 8. lit. E. *hanc limitationem, modò tale ſit, quod exceptione peremtoriâ tolli non poſſit, quã tamen malè ad debitum accommodari naturale exiſtimat* Bachov. ad Treutl. d. loc. *Verùm benè illam accommodari poſſe demonſtrat exceptio judicati: quamvis enim per ſententiam judicis naturalis obligatio non tollatur per* l. 60 ff. de condict. indeb. *tamen illa naturalis obligatio eſt inefficax, & rejicitur per exceptionem peremtoriam rei Judicatæ.* Nec *obſtat ratio* Bachov. *quod quia naturale debitum peti non poteſt, fruſtrà de Exceptione quæratur. Præterquam enim quod quidam dentur caſus, in quibus ex naturali quoq; obligatione agi poteſt. quanquam irregulariter*, *quod probant* Angel. & Porc ad Tit Inſt. de oblig. *non ſemper etiam neceſſum eſt, ut agatur: verbum enim exceptionis generale eſt, & interdum ſub ſe comprehendit replicationem. V. g. ſi quis agat adverſus me ex vero & proprio debito, qui tamen mihi naturaliter debeat. ego ècontra vellem opponere compenſationem; tunc replicando poterit me repellere. per exceptionem ſcil. rei judicatæ. Quod de æquitate objicit* Bachov. *minùs ſtringit: habet enim naturale quoq; debitum reverà in ſe æquitatem ſuam naturalem; quamvis illa per civilem, ſcilicet exceptionem vincatur.* (c) *Unde promanat vulgatum illud, dolum cum dolo, delictum cum delicto compenſari,* l 36. ff. de dol. mal l 39. ff. ſolut. matrim. *modo tamen civiliter & pecuniariè agatur* l. 10. §. 2. ff. h. t. Weſenbec. in π. ff. h. t. n. 4. *Si enim criminaliter agitur, tunc nulla delictorum poteſt fieri compenſatio. Item ceſſat in publicis Judiciis; nam in illis non ſpectatur privati cujuſdã intereſſe, ſed vindicta injuriæ Reipubl. illatæ: Ex qua delictorũ compenſatione infert* Treutl. d Diſp. 25. th. 9. lit C. *etiã injurias verbales & crimẽ falſi compenſationi ſubjacere; ſed vitioſe, quoniã injuria nõ eſt ſubjectũ habile compenſationis ad quantitates tantùm ut ſuprà demonſtratũ, pertinentis: niſi vocabulũ hoc in ſenſu planè impropriò pro vindicta ſcil. accipere velimus Aliud tamen dicendũ videtur ſi uterq; ex injuriis agat ad æſtimationẽ; tunc enim ad concurrentes quantitates admittitur compenſatio. De crimine falſi idem judiciũ. Argumenta a* Treutl adducta *admodũ frigida ſunt, ut demonſtrat* Bach. ad d. Diſp. 25. th. 10. lit. C. & D (d) *per* l. fin. C. de compenſ.

& § 30. Inst. de Action. *Idq; propter æqualitatem, quæ aliàs non servaretur*, Wesemb. in π. ff. h. t. n. 7. Magnificus Dn. D. Arum. Exerc. 16. th. 9. Treutl. d. Disp. 25. th. 8. lit. G. *ibiq;* Bachov. *Nec adversatur* l. 8. ff. h. t. *ubi compensatio admittitur super debito de quo lis est contestata, quod liquidum dici haut potest. Nam liquidum & illud rectè vocatur, quod sine latiori indagine brevi liquidari potest*, Treutl. d. loc. *Quodnam verò ad debitum liquidandum tempus requiratur, variant Dd. Quidam spacium duorum mensium postulari ajunt* per l 46. §. 4. ff. de jur. fisc. *Alii judicis arbitrio id relinquunt; quod & mihi placet. Quicquid enim expreßè in jure & Legibus non est determinatum, illud meritò arbitrio judicis relinquitur* arg. l. 1. §. fin. ff. de jure deliber. *Non juvat illorum opinionem* d. l. 46 §. 4. ff. de jur. fisc. *Specialiter enim hoc statutum est in fisco, ut intra duos menses debitum liquidetur: quod quia speciale, ad consequentiam minimè est trahendum* per jura vulg. Bachov. ad Treutl. d. loc.

THESIS VI.

Compensatio quæ hodie fit ipso jure, (*a*) locum habet in omnibus actionibus tàm bonæ fidei quàm stricti juris, (*b*) tàm in actionibus in personam, quàm in rem. (*c*)

(a) *Post latam scilicet constitutionem* in l fin C. h. t. *ubi notandum venit*, (1.) *quid sit ipso jure fieri? Et quamvis hac in re sibi non adeò constent Dd., expeditißimum tamen videtur, si compensationem dicamus ipso jure fieri, quoad vim & potestatem ipsius legis, volentis ut statim à primo tempore concurrentium debitorum liberatio usque ad concurrentes quantitates contingat.* (2.) *An ita fiat ipso jure compensatio, ut nullo planè hominis facto opus sit? Quod omninò adfirmandum: Qemadmodum enim solutione ipso jure tollitur obligatio*, pr. Inst. quib. mod. toll. oblig *ita etiam compensatione, tanquam (ut sæpè inculcatum) solutionis quadam specie* l. 4. ff qui potior in pign. Magnif. Dn. D. Arumæus d. Exerc. 16. th. 6. Borcholt. tr. de compens. cap. 3. Leonh. Cöppel. eod. tract. cap. 8. *Id quod tamen verum quoad compensationem inducendam, non exequendam, ubi omninò factum requiritur hominis, id est, allegatio partis compensare volentis: judex enim non potest augurari adversarium reo vicißim* ali-

aliquid debere; Atq; sic accipiendum, quòd compensatio interdum dicitur objecta l. fin. verb. objici. C. h. t. *opposita* in §. 30. verb. opponi, Inst. de Action. &c. Adde Magnif. Dn. D Arumæum d. l.
(b) *Magna fuit olim inter bonæ fidei & stricti juris judicia hac in re differentia. In bonæ fidei judiciis compensatio fiebat ipso jure, in strictis verò judiciis compensatio planè cessabat, & remittebatur creditor ad judicium ordinarium, donec* Divus Marcus *etiam in illis compensationem admiserit, oppositâ tamen doli mali exceptione* §. 30. Inst. de Action. *quod tandem* Imperator Justinian. *nova sua Constitutione, quæ est* l. fin. C. h. t. de compensat. *rursus correxit, & compensationem ipso jure nullâ adhibitâ differentiâ inter bonæ fidei & stricti juris judicia fieri sancivit. Quibus jam dictis nihil derogat* l. 39. l. 50. §. 1 ff. de hered. petit *ubi expressè statuitur, quòd in hereditatis petitione, quæ utiq; bonæ fidei est*, arg. §. 28. Inst. de Actionib. *compensatio aliter non fiat, quàm per exceptionem doli. Tenendum namq; olim ante Justiniani tempora dissidium fuisse inter JCtos de hereditatis petitione, ad quamnam classem sit referenda; quibusdam illam inter bonæ fidei, aliis inter stricti juris judicia eam referentibus, ut patet ex* d. §. 28. Inst. de Action. *quæ causa fuit, cur diversimodè de illius compensatione senserint.* (c) *Per* l. fin. C. h. t. *Absurdum cuiquam hoc fortassè videri posset, quòd suprà latè dictum, compensationem locum utplurimum habere in quantitatibus, cùm tamen in actionibus realibus, non quantitates solùm, sed vel maximè species vindicentur* l. 6. ff. de Rei vindic. *Communis Dd. Schola* d. l. fin. *ad eum casum restringit, quando non species ipsa, sed loco rei non extantis vel deterioratæ ejus æstimatio petitur; quod non immeritò* à Bachov. ad Treutl. d. Disp. 25. th. 7. lit. C. & Herman. Gœhausen. part. 2. Peric. Academ. 7. q. 40. & 41. *in dubium vocatur, quia (1.) Imperator sic de casu rariori respondisset, quod præsumendum non est, imò ab ipsius mente longè alienum videtur. (2.) Nihil novi introduxisset, cùm Jure veteri etiam hoc casu, quando re extinctâ vel deterioratâ ad æstimationem ejus perventum est, compensatio obtinuerit. Rectiùs igitur sentire videntur* Bachov. & Gœhauß. dd. ll. *qui ut occurrant illi difficultati ex* d. l. fin. *verbum compensationis, quo ad actiones reales, quando species vindicantur, impropriè sumi existimant. Nec absona videtur hæc acceptio. Etenim notum est, compensationis verbum vel propriè accipi, vel im-*

 pro-

propriè; Propriè, quatenus denotat retentionem perpetuam l. 18 pr. ff. de pigner. act. *& vim solutionis habet* l. 4 ff. qui pot. in pignor. *Impropriè verò, quatenus detentionem tantùm temporalem significat, & aut loco pignoris est per* d l. 18 pr. de pigner. act. *aut ad certum tempus rem debitam pro indebita efficit.* juxtà l. 5. ff. de impens. in res dot. fact. *In hac itaq; secunda significatione capiendum vocabulum Compensationis* in d. l fin. *si scilicet res ipsa petitur; quia ut sæpe dictum propriè sic dicta compensatio ad quantitates magis pertinet*, videatur omninò Gœhauß. & Bachov. dd. ll.

Thesis VII.

Excipitur depositum,(*a*) sicut & actio momenti,(*b*) non verò commodatum (*c*).

(a) *Qui constitutionem* d. l fin. C. h. t. *ad illum saltem casum, ubi rebus deperditis vel deterioratis æstimatio rei succedit, restringunt, regulam ita ponentes, iidem etiam exceptionem de illo casu intelligunt, nimirum ne in æstimatione quidem depositi compensationem locum habere; quæ exceptio, regulà nondum adhuc probatà, admitti haut potest. Imò potiùs dicendum, hodie in rei depositæ æstimatione compensationem fieri omninò posse; quod secus est in petitione certi corporis depositi, & hoc etiam ita observatum fuit de Jure veteri. Sed jam quæritur, quidnam per novam Constitutionem Justiniani* in d. l fin C. h. t. *circà depositum sit introductum? Hoc videlicet, ut etiam in petitione depositæ certæ speciei compensatio impropriè sic dicta obtineat & quidem ex diversâ causâ; quod de Jure veteri non licuit; Quamvis enim olim compensatio impropria, ut in commodato,* l. 15. §. fin. l. 59. ff. de furt. *ita & in deposito locum habuerit, tamen hoc saltem factum est propter impensas necessarias, quæ pars corporis esse intelliguntur,* Gœhauß. d. loc. (b) *Quod probant verba finalia* d. l. fin. C. h. t. *Et ratio est manifesta, quia Reip. interest, ut possessio per vim occupata, quamprimum restituatur: Hinc vulgatum*, spoliatus ante omnia restituendus l. 7. C. ad Leg. Jul. de vi publ. c. 5. & 7. ext. de restit. spoliat. Borch. h tr. de compens. c. 4. n 30 & seqq. Leonh. Cõppel. eod. tract. cap. 7. n. 16. Treutl d Disp. 25 th 7. lit. E. ibique Hunn. (c) *An in commodato locum habeat compensatio, tàm veteres quam Neoterici JCti mire se torserunt propter* l. fin. C. de Cõmod.

Non

Non opus habemus, ut cum Cujac. ad Paul. I. Sent. 12. §. ult. *Tribonianum inscitia & negligentia insimulemus, quasi* in d. l. ult. C. de commod. *pro commendati, quod idem est ac depositi* l. 26. ff. depos. *scribi passus fuerit commodati, & sic illam legem, quæ propriè pertinet ad Titulum depositi, transtulerit ad Tit. Commodati, rectè ob id notato* à Magnifico. Dn. D. Arumæo d. Exerc. 12. th. 13. Hottom. & amicab. Resp. cap. 21. Hillig. Donell. Enucl. lib. 16. cap. 25. lit. X. & aliis. *Minùs necessarium est, ut cum Dd. cōmuniter* d. l. fin. C. de commod. *de casu rariori, videlic. æstimatione rei commodatæ intelligamus. Sed magis cum* Magnifico & Consultissimo Dn. D. Franzkio Exerc. 9. quæst. 7. Bachov. ad Treutl. d. Disp. 25. th. 7. Gœhauß. d. quæst. 40. & 41. *adhuc inter vocabulum Compensationis, quod non uno modo, ut dictum, accipitur, distinguendum videtur*, secundùm notata in thes. 6. in fin. *Quando igitur dicitur in commodato compensationi locum esse, vocabulū compensationis impropriè sumitur, pro retentione quadam temporali, & ita accipitur* in d. l. fin. C. h. t. *Deinde etiam distinguenda sunt tempora. Jure veteri compensatio propria in commodato non admittebatur* per l. fin. C. de commod. *ratio est quia non species cum specie, sed quantitas cum quantitate compensatur, & aliud pro alio invito creditori non rectè solvitur. Impropria tamen compensatio, videlicet retentio jure pignoris, de illo jure omninò locum habuit*, ut patet ex l. 18. pr. ff. de pigner. act. *ad hunc saltem effectum, ut habeatur loco pignoris: non ad illum, ut ad certum tempus debitū vel tollat vel minuat; quamvis speciale planè fuerit in causâ dotis*, juxta l. 5. ff. de impens. in res dot. fact. *De Jure novo compensatio etiam non obtinet, si scilicet res ipsa petatur*, per superiùs tradita; *impropria verò compensatio, quatenus videlicet de Jure veteri in actione dotis, (quod speciale erat) ipso jure minuebat dotem, quamvis constituta esset in re corporali, fundo scil.* à Justin. in d. l. fin. C. h. t. *latiùs extensa est, & ad omnes actiones reales porrecta, ita ut ipso jure res non debita videatur, donec alteri parti de debito satisfactum fuerit, non tantùm propter impensas, quod etiam de Jure veteri concessum fuit, sed ex causa etiam alia. Et hæc est nova* Bachovii *opinio, quam clariorem reddidére* Magnificus & Consultissimus Dn. Franzkius & Gœhausen dd. ll.

THE-

THESIS VIII.

Finis Compensationis est, ut præcidantur occasiones litium *(a)*: Effectus, ut sit vice solutionis *(b)*, usuræ non currant, *(c)* & compensare paratus moram facere non censeatur *(d)*.

(a) *Ne scilicet fiat per plura quod fieri potest per pauciora* l. 39. §. 1. C. de appellat. Wesenbec. π. ff. h. t. n. 9. (b) l. 4. ff. qui potior. in pignor. Borcholt. d. tract. cap. ult. n. 1. Leonh. Cöppel. eod. tract. cap. 10. n. 1. (c) l. 11. ff. h. t. Treutler. d. Disp. 25. th. 11. lit. B. (d) *Qua tamen omnia vera sunt de compensatione propriè sic dicta*, Bachov. ad d. Disp. 25. th. 11. lit. B. & C. *Ex hoc ultimo* Treutl. & *alii inferunt, Emphyteutam intra biennium Canonem non solventem, jure suo privari non posse, si vicißim Dominus ipsi debeat, quod compensari poßit; id quod non ita simpliciter admittit* Bachov. d. loc. *quem vide. Et hæc Disputationis, non Commentarii scribendi causâ hâc vice sufficiant.*

DEO soli Gloria.

